



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

4. Quæ sint iura Regum, quæ dicuntur sit per electionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

sapientia, consilio, & virtute prius confiterit: inter quos, quia pares sunt, poterit fors mitti. Sic enim in iudiciis, quae ambigam causam habent, quia contententium partes rationes sunt, fortibus controversia dirimi potest.

Quarto quaeritur, An Romani Pontificis auctoritate possit Rex institui, vel creati? Respondeo, posse Papam nomen, diadema, ius, & titulum regium dare in certis quibusdam casibus. Primo, cum princeps est Romanae Ecclesiae nomine, & iure feudi subiectus: tum potest Papam eum Regem instituere. Sic Sicilia Rex est institutus ab Innocentio 2. Rogetius 2. *ut testan. Sigon. Masrolycus Abbas, & Phazallus*, cum tamen antea esset Comes Siciliae, Dux Apuliae, & Calabriae. Sic etiam est creatus Rex Neapolitanus auctoritate Clementis IV. Carolus Andegavensium, & Prouinciae Comes, frater S. Ludouici Regis Francorum, *ut constat ex Sigonio, & Masrolyco Abbate.*

Secundo, cum Rex, vel princeps vili superiori subiectus regnum, vel principatum offert Romanae Ecclesiae in honorem, & cultum sancti Petri, & vult sceptrum, & diadema, ac titulum regium accipere, & habere à Rom. Pontifice. Sic accepit, & habuit S. Stephanus Hungariae Rex. *Bonfinius de rebus Hungariae.*

Tertio, cum Papa abrogat Regium, & titulum regium, ob haeresim, vel schisma, vel alia crimina tali poena digna, potest alteri Catholico principi huiusmodi ius, & titulum regium conferre. Sic Leo III. ob crimina Imperatorum Constantinopolitanorum, Carolum Magnum occidentis Imperatorem creauit. *Blondus, Platina, Sabell. Nauclerus, Sigonius.* Sic etiam auctoritate Papae, ob tyrannidem Berengarii, factus est Rex, & Imperator Romanorum Otho I. cognomento Magnus. *Blond. & ceteri supra cit. Auctores.*

Quarto, cum tota aliqua Paganorum prouincia libera est, id est, superiorem non habens, sponte sua, Christi fidem, & religionem amplectitur, potest Papa ei praeficere Christianum Principem cum iure, & titulo regio, qui eos Christianos tueatur, & defendat.

Quinto, si rex Christianus sine sumptibus, & impensis aliquas Paganorum Prouincias ad Christi fidem conuertat, & Princeps eorum Ethnicus nolit Christianis dominari sine iniuria Saluatoris, tunc auctoritate Summi Pontificis citra scandalum, potest principatu & regno priuari, & Christianus princeps constitui, cum iure, & titulo regio. nam eadem ratione, si aliter coniugum ex Paganismo ad Christianismum conuertatur, & nolit alter coniugum Christianus cum eo habitare sine iniuria Creatoris, liber est à matrimonii vinculo coniugum conuersus ad fidem.

Sexto, ob haeresim, vel schisma, vel alia crimina petnitiosa communi saluti, & bono reipublicae potest Summus Pontifex Principem siue regem Christianum priuare iure, & titulo regio, & deinde concedere, siue restituere. Olim Gregor. VII. Boleslaum Poloniae regem eo nomine II. diebus excommunicationis deuouit, & solenni ritu regio titulo priuauit, eo quod occiderat impie Stanislaum Cracouien. Episcopum, anno Domini 1179. Edixit quoque ne Episcopi in posterum regem aliquem iniussu Roman. Pontificis inungerent, & coronarent: unde ex eo tempore Principes dicebantur, non reges, qui in Polonia dominabantur. Postea à Ioan. XXI. imperarunt Poloni, ut Vladislaus regium diadema, nomen, & titulum haberet. *Cram. de rebus Polon. partim lib. quarto. partim lib. undecimo.*

Quinto quaeritur, An Imperator Romanorum possit regem creare? Respondeo, si princeps aliquis, vel Dux fuerit Imperatori nomine, & iure feudi, vel aliquo alio titulo subiectus, posse Imperatorem ei regium nomen, & titulum, ac diadema concedere. Potest itidem regiam coronam, & titulum dare principi, qui petit ab eo regium diadema, & titulum. Sic olim reges Armeniae, & Cypri coronabatur auctoritate Imperiali, *ut ait Craetzius in Saxonia lib. 7. cap. 12.* quia id ipsi reges ab Imperatore efflagi-

tauerant. Otho III. Boleslaum eo nomine primum Poloniae regem declarauit, regio diademate donatum, anno salutis 1001. *Cramerus de rebus Polon. lib. 3. Henr. IV. V. V. ratislaum Boemiae Ducem Regem Boemorum instituit ann. Domini. 1086. An. Sylu. in Historia Boemorum cap. 22. Cram. lib. 5. de rebus Polon.*

Sexto quaeritur, An regnum possit praescriptione comparari? Respondeo, distinguendum esse. Aut enim sermo est, de eo, qui per vim, aut bellum iniustum regnum occupauit, & hic nunquam potest regnum praescribere, quoniam semper est male fidei possessor. Vnde *Institut. de Vscapio. §. Furtina*, dicitur: *Furtina quoque res, & quae vi possessae sunt, nec si praedicto longo tempore bona fide possessae fuerint, vscapari possunt.* nam futuriarum rerum lex 12. Tabularum, & Lex Attilia inhihent vscapionem vi possessarum: Lex Iulia, & Plautia: aut sermo est de haerede, qui in regno suorum Maiorum successit: & is si mala fide successit, videlicet sciens partem esse regnum à suis Maioribus per vim, aut bellum iniquum, nunquam etiam praescribit: neque enim cum mala fide praescriptio procedit. Quod si is haeres bona fide in regno succedit, potest praescribere longissimi temporis spatio, nimirum, triginta, aut quadraginta annorum, *ut colligitur ex Glossa Institut. de Vscapio §. Furtina, in verbo, Praedicto longo tempore, & ratio huius est, quia in bona fide succedit, & titulum habet, videlicet hereditariam successionem: putat enim haeres bona fide, se à suis maioribus regnum accepisse. Obiicies, Institut. de Vscapio. §. Furtina, haberi, rerum futuriarum, & vi possessarum vscapionem esse non posse, non solum hoc sensu, ut ipse fur, vel qui per vim possidet, vscapere non possit, sed nec vllus alius, quamuis ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa accepit, vscapiendi ius habet. Respondeo, cum Glossa loco supra citato, vscapiendi ius non haberi tempore trium annorum, vel decem, vel viginti: posse tamen vscapere spatio triginta, vel quadraginta annorum.*

Secundo obiicies: Ex dictis colligi, Turcas, & Saracenos posse praescribere regna Christianorum, quae possident; quia etsi primi Turcae, vel Saraceni ea per vim, vel bellum iniquum occuparunt: ij tamen qui modo regnant, illis iure hereditario successerunt: Respondeo, eos nihilominus esse male fidei possessores: sciunt enim fuisse regna Christianorum, & absq; vlllo iure fuisse Christianis erepta: Sed ut dixi, cum mala fide praescriptio non currit.

Dices; etiam Gothi per bellum iniquum Hispanias, & Franci Gallias, Angli Britanniam, & Hungari Pannoniam occuparunt? Respondeo, huiusmodi regna praescriptione comparari potuisse, quia bona fide reges successerunt, cum notam illis non esset ea regna fuisse à suis maioribus, vel per vim, vel per bellum iniustum occupata.

Sciendum etiam est, regna vi, vel bello iniusto acquisita, posse bona fide possideri, si communibus reipublicae suffragiis Rex ipse denuo instituat, & creetur: nam populus quamuis initio vim passus fuerit, successu temporis tamen sciens, ac volens omni metu, & vi sublata potest principem vel regem denuo suscipere. Sed tunc regnum praescriptione non acquiritur, sed populi suffragis, & communi procerum consensu.

C A P. IV.

Qua sint iura Regum, qua dicuntur Regalia.

PRIMO quaeritur, An id quod scribitur 1. Regum capit. 8. contineat ius regale. Verba scripturae haec sunt: *Hoc erit ius Regis qui regnatus est in vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & praefores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armo-*

rum, & cursum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vniuersarias, & focarias, & panificas: & agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis, sed & segetes vestras, & vinearum redditus adducimabit, ut det eunuchis, & famulis suis: seruos etiam vestros & ancillas, & iuuenes optimos, & asinas auferet, & ponet in opere suo; greges quoque vestros adducimabit, vosque eritis ei serui. Sicibi.

Hæc quæstio quotidie apud anticos, & procuratores regio agitur, in qua re non desunt, qui Regibus adulentur, & prædicta omnia, ad ius, & potestatem Regis legitimam pertinere censeant. Sed reuera falluntur; ac longe aliter Dominus præcipit *Deuteronomio* 11. & Achab Rex 3. Reg. 10. reprehenditur, quod vineam Naboth concupisset, & abstulisset: & Dauid fuit diuinitus punitus, eo quod populum numerauerit. Cum enim populus numerabatur, quisque certam pecuniam soluere debebat. Est ergo Dauid punitus, quod populum ad pendendum tributum coegerit, cum id necessitas minime postularet. Nisi dicere velimus, eum non fuisse punitum ob recensitum populum, sed ob superbiam, & inane gloriam, vel quod ea numeratio, & recensio populi caute, & prudenter facta non fuerit, uti debuerat: ne eadem villam afferret alioqui enim Regi licebat recensere populum, ut patet ex lib. *Exodi* cap. 30.

Sententia igitur eorum verborum, quæ attulimus ex cap. 8. tertii Regum hæc est: (*Hoc ius erit Regis*) videlicet, non legitimum, & iustum, sed quod ipse sibi Rex vendicabit. Petierant Iudæi Regem, ut essent sicut cæteræ gentes, quæ reges habebant: sed merito respondit Samuel: Hoc erit ius regis, nempe tyrannicum, quale esse solet regum, qui cæteris gentibus dominantur. Erant enim tunc multarum gentium regna barbara, fera, & tyrannica, quarum gentium reges potestate abutebantur, & à subditorum personis pro arbitratu suo dominabantur. Quamuis negandum non sit, Regem ius habere, vtendi subditorum personis, & bonis, quando id communis reipublicæ necessitas postulat.

Secundo queritur, An alicubi sit explicatum, quæ sint iura regalia? Respondeo in libro secundo *Feudorum* tit. 56. cap. Quæ sint regalia, haberi sic: Regalia, armandia, via publica, flumina nauigabilia, aut ex quibus sunt nauigabilia, portus, riparia, vestigia, quæ vulgo dicuntur telonia, moneta, mulctarum, poenarumque compendia, bona vacantia, quæ vt ab indignis legibus auferuntur, nisi quæ specialiter quibusdam conceduntur, & bona contrahentium necessitas nuptias, condonatorum, & proscriptionum, secundum quod in nouis Constitutionibus cauetur, Angariorum, perangariorum, & plausrorum, & nominum præstationes, & extraordinaria collatio ad felicissimam regali numinis expeditionem; Potestas constituendorum Magistratum ad iustitiam expediendam; Argentaria, & palatia in ciuitatibus consuetis piscationum redditus, & Salinarum, & bona committentium crimen Maiestatis, & dimidium Theauri in loco Casaris inuenti non data opera, vel in loco religioso; Si sacra opera, totus ad eum pertinet. Sicibi. Singula eorum expendamus breuiter.

Armandia. Quidam codices legunt *Archimandria*. hoc est, Principatus gregis, seu agminis, quasi dicat, ius esse principis, vt ex armis animalium præcipua capita ipsi principi, ac Regi debeantur. Sed melius alii codices legunt, *Armandia*. Vocabulum quidem hoc barbarum est, idem tamen signat, quod Latinum nomen Armamentarium. Armamentaria vero sunt, repositoria armorum, præsertim naualium, machinarum, tormentorum, funium. Armamentarium vulgo dicitur Arsenalis. semper solita est reipublica loca habere, in quibus instrumenta bellica fabricantur, reponuntur, asseruantur, quæ deinde belli tempore militibus subministrantur. Princeps prohibet ne priuati arma penes se habeant, hoc est, instrumenta bellica, vt omnis tumultus, seditionis, & belli occasio præcidatur. Hinc est, vt regale ius sit potestas indicendi bellum, suscipiendi, & gerendi contra hostes. Sicut enim

Regum sunt armamentaria, sic etiam Bellorum gerendorum potestas.

Via publica. Publicas vias Græci vocant *Βασίλειαι* hoc est, regias: Latini vero, prætorias, vel consulares, vel militares, vel publicas: quæ viæ distinguuntur à priuatis, agrariis, & vicinalibus: *Hæc omnia habentur in l. Prætor. §. Viarum quædam. ff. Ne quid in loco publico.* Publicæ vero res dicuntur, quæ tantum sunt propter publicum usum, vnde populus, vel alius priuatus, sine auctoritate Principis vsui publico ob stare non potest.

Quæ vero inveniuntur in viis publicis, & habentur pro derelictis, sunt quodammodo Principis, quatenus ea potest applicare Monasteriis, Magistratibus, vel dignitatibus. Publicæ viæ dicuntur esse Regum, quia in eis iurisdictionem habent, & eas tueri, & conseruare debent: alioqui eorum vsus est omnium hominum communis. *Glossa in l. Quædam. ff. de rerum diuisione.*

Flumina nauigabilia, & ex quibus sunt nauigabilia, portus, & riparia. Quemadmodum in terra viæ publicæ, sunt Regum, ita viæ per aquam publicam, Regum quoque sunt. Naturali iure communia sunt omnium, aqua profuens, mare, & aer. *Quædam. ff. de rerum diuisione. §. Et quidam:* vnde gemmæ, & lapilli, quos mare procreat, sunt omnium hominum communes. At vero Regis sunt flumina nauigabilia, siue perennia, hoc est, quæ in æstate, & hyeme fluunt. Siue flumina publica, & portus, ripæ, & littora. Res communes dicuntur, quæ vsu communem, & brutis animalibus, & hominibus præbent. Reipublicæ sunt, quarum vsus est omnium hominum communis, etsi proprietas, iurisdictione in eis, custodia, & cura tuendi, & conseruandi eas, ad Regem spectet. Flumina pene omnia publica sunt, ait *Iuriconsultus in l. Venio. ff. de Fluminibus:* aliqua tamen priuata sunt, *l. 1. §. Fluminum. ff. de Fluminibus.* Priuata sunt, quæ ad tempus fluunt. *Glossa in leg. Venio, citata.*

Ac proinde leges regis sunt, vt si vi tempestatis, siue naufragii, siue alio modo ex mari res aliqua impellatur in litus, siue nauis sit, siue aliud quippiam, ad Regem pertineat, si intra sex hebdomadas, imo aliquando si intra sex dies non compareat, qui eam rem repetere queat: extant plures Iuriconsultorum leges, quibus prohibentur possessores prædiorum circa portus, & littora, & ripas quippiam capere ex mari appulsum nauibus spoliatis, submersis, dissolutis, dissipatis, naufragium passis: nisi naues, aut res piratarum sint. *l. Quæ naufragium. l. Padius. l. Si quis. l. expugnatur. l. Ne quid ff. de Incen. ruina, naufragio.* Hinc etiam est, vt resectio, ac reparatio portuum, littorumque ad Principem spectet. Olim ius piscandi in mari omnium hominum commune erat: at nunc Principes maritimi, & littorales id iuris sibi referunt ob impensas, & sumptus, quos faciunt in rescindendis, & tuendis portibus, & littoribus. Item, piscationes in fluminibus publicis sibi solent Principes, & Reges vindicare, & priuatis pretio vendere.

Vestigalia. Ius regum est noua tributa, & vestigalia imponere, augere, addere, & diminueri: sed hoc non nisi ob causam, siue necessitatem communem: nam regis est curare, vt reipublica pacate, & tranquille viuat, libera tumultibus, seditionibus, bellis: qua ratione tributa exigat. Item curare, vt viæ publicæ tutæ sint, ac proinde à viatoribus iure potest vestigalia postulare, & ea, quæ vulgo dicuntur, pedagia, guidagia, gabellæ.

Moneta. Ex Regis auctoritate pendet monetæ leges. Regum est potestas fabricandi, cudendi, mutandi, augendi, minuendi monetam, eiusque pretium, & æstimationem: & graues poenas humanæ leges constituunt in eos, qui sine principis auctoritate monetam cudunt, adulterant, radunt, tingunt, aut deformant. Ac sicut Regum ius est monetæ cudendæ, sic & Regis potestas est legis condendæ, abrogandæ, mutandæ, declarandæ, interpretandæ, moneta enim est velut quædam lex.

Mulctarum, poenarumque compendia. Hinc est, vt ex Regis iure, & auctoritate pendeat potestas concedendi ve-

niam delictis, & minuenti pœnam legibus præscriptam. nam qui legem condit, & pœnam constituit, legis rigorem temperare, ac mitigare potest. Ex quo fit, ut Rex possit aliquos lege solvere, privilegia præter & contra legem quibusdam concedere, natalibus legitimis restituere eos, qui ex iustis nuptiis nati non sunt.

Bona vacantia. Hoc nomine multa continentur: videlicet ea, quæ privato domino carent: ut sunt bona eorum, qui sine testamento, & sine legitimo hærede decedunt. *l. 1. §. l. Vacantia, C. de bonis vacantibus, lib. 10.* Bona sine hærede, dicuntur esse sine domino, & proinde bona vacantia sunt. Item res mobiles, siue immobiles, quæ à nullo possidentur, vel pro derelictis, & inculis habentur, ad principem, vel ad rempublicam pertinent. *l. 1. ff. de iure fisci.* Teste Strabone, olim Romani Imperatores Magistratum constituerunt, qui per Ægyptum inquirerent, num bona aliqua essent vacantia, ut possessiones desertæ, hæreditates sine hærede, derelicta domus, vel aliæ res sine domino: ut hæc, & similia bona dominio Cæsaris addicerentur.

Bona contrahentium incestus nuptias. Generaliter confiscationes bonorum propter certa crimina, cuiusmodi sunt incestus nuptiarum, armorum ad hostes delatio, delictum læsæ Maiestatis, hæresis, & crimen eorum, qui metu sceleris conscientia tacti seiplos interrimunt, non per insaniam, vel impatientiam, vel dolorem. *C. de bonis eorum, qui mortem sibi constituerunt: hæc, inquam, bona, ac similia, ad Regem pertinent.* vnde Regis est fiscum habere. Olim bona damnatorum, & proscriptorum hominum confiscabantur: sed nunc iure communi servatur id, quod habetur in *l. Bona. C. de Bonis proscrip.*

Et angariarum. Qua ratione vectigalia, quæ sunt exactiones quædam, siue pensiones, quas solvunt viatores pro servitute viarum, pro reparatione pontium, aut similibus, quæ vulgo dicuntur portoria, pedagia, guidagia, & eadem angariæ, & nauium, & plaustrorum exactiones, intra regalia dicuntur. Et generatim, quidquid extra ordinem penditur ad felicissimam Regis expeditionem, iuris regalis esse perhibetur.

Potesitas constituendorum Magistratum. Regis est Magistratus creare, prætoria, & tribunalia iudicii publici causa constituere: Regum enim est leges dare, & ius dicere. Hinc est, ut omnis iurisdictionis, quæ in regno aliquibus coavenit, à Rege exeat, & pendeat. Et sicut Regis est Magistratus creare, sic eorum numerum augere, iurisdictionem prorogare, restringere. Hinc etiam fit, ut ad Regem quisque possit à quibuslibet iudicibus, & Magistratibus appellare. *l. Imperatores: ff. de Appellat. §. l. 1. C. Quando Imperator inter pupillos, & viduas, vel alias miserabiles personas cognoscit.* Dubiæ quæstionis est, An Rex iure queat vendere publica Magistratum, & iudicum officia? De hac quæst. agam *par. 3.* cum de emptione, & venditione tractabo.

Piscationum redditus, & Salinarum. Salina, est locus, in quo sal effoditur, aut à qua marina paratur teste Plinio *lib. 31. cap. 7.* Porro ad Regem pertinent fodinæ salis, auri, argenti, æris, ferri, & cuiuslibet alterius metalli: ut alio in loco latius ostendam: de his enim variæ sunt Regum leges.

Et dimidium thesauri. Thesaurus, est pecunia ab ignotis dominis supra hominum memoriam reposita. *l. Nunquam nuda, §. Thesaurus, ff. de acquir. rer. dominio.* Si quis aliquid, vel lucri causa, vel metus, vel custodia, vel honoris, ut in sepulchris mortuorum, sub terram condiderit, thesaurus non est: nam thesaurus in nullius bonis est, & ideo inveniuntis, & capientis efficitur naturali quadam ratione, & æquitate. Ea etenim, quæ in nullius bonis sunt, ut aues, pisces, feræ, siunt capientis, *Institutio de rerum diuis. §. Fera.* Thesaurus itaque magica arte inuentus in proprio etiam fundo, est Cæsaris, & fisci. *l. 1. C. de Thesauri. lib. 10. l. Nemo. C. de maleficiis, & Mathemat.* de qua lege dubitatur, an sit tantum pœnalis, sed alterius est instituti, ut alio in loco

docebo. Inuentus vero thesaurus absque vlla arte magica in proprio agro, totus sit inuentoris: In altero vero, data tamen opera, totus ad dominum fundi pertinet.

Si vero sit casu repertus, dimidia pars cedit agri domino, altera dimidia inuentori, *Institutio de rerum diuis. §. Thesaurus, & sanctus Thomas secunda secunda, quæstio. 66. art. 5. ad 2.* Quæ etiam leges, an solum pœnales sint, in alio loco disputabo. Si inuentus sit data opera thesaurus in loco religioso, vel sacro, videlicet, qui locus sit communis, non proprius alicuius Ecclesiæ, Cœnobii, vel privati hominis, dimidia pars eius ad fiscum pertinet. *l. Non intelligitur, §. Si in locis, ff. de iure fisci.* Si fortuito inuentus sit, totus est inuentoris, *Institutio de rerum diuis. §. Thesaurus:* quia locus religiosus, vel sacer in nullius est patrimonio, secundum veterem Romanorum morem; voluit Iustinianus Imperator, ut thesaurus in eo loco repertus, totus esset inuentoris.

At vero ante Iustinianum in *l. Non intelligitur, §. Si in locis, ff. de iure fisci.* decretum fuerat, ut pars dimidia Thesauri inuenti in loco sacro, vel religioso, fisci esset. Regiæ tamen leges alicubi habent, ut Thesauri quocumque in loco repertur, Regi acquirantur, data quinta, vel quarta parte eius inuentori.

Et certe consuetudine vbiq; fere receptum est, ut thesaurus inuentus, ad Reges, & fiscum pertineat, ut testantur Paludanus in quarto, distincti. decima quinta, quæst. 3. artic. 5. conclusione prima, Antoninus parte 2. titul. 1. cap. 15. §. 2. Caietanus secunda secunda, quæst. 66. art. 5. ad 2. Covarruvias in regula. Peccatum, parte tertia, §. 2. numer. 4. Alphonsus Castrensis lib. 2. de lege pen. cap. 2. Et quamvis Sylvester in verbo, Inuentum, quæst. 6. num. 13, quem sequutus est Scorus lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 3. ad 2. damnet hanc consuetudinem, tanquam pugnantem cum naturali æquitate, quæ præscribit, ut ea, quæ in nullius bonis sunt, primo occupantis propria fiant; damnanda tamen non videtur, ut Sylvester, & Sotus immerito damnarunt; quia etsi bona communia, quæ in nullius bonis numerantur, primo occupanti cedant, potest tamen Princeps, siue respublica, ea cui voluerit, iustis de causis addicere. ergo potest Princeps legem condere, qua thesaurum, qui in posterum reperiretur, ad fiscum spectet. Nec facile Regum, & Principum leges multo consilio, & deliberatione positas improbare debemus.

Tertio queritur, An ad ius Regis pertineat, ut possit puellas virgines, siue mulieres quas voluerit, sibi sumere, & quot ipse voluerit, vxores ducere? Rationem dubitandi, aliqui attulerunt inde, quod *1. Reg. 3.* dicitur: *Filias vestras faciet sibi focarias, &c. at 1. Quænammodum. C. de donationi. inter virum, & uxorem,* focariæ mulieres dicuntur concubinæ. Respondeo, dubitati non posse, quin id sit Regibus interdictum; est enim contra legem diuinam, naturalem, & Canonicam, si quis sceminis utatur extra iustum, & legitimum coniugium: & Reges Christiani quamuis suis legibus soluti sint, lege tamen diuina, naturali, & Canonica tenentur. Nec obstant exempla aliquorum regum, qui pro libidine sua abusi sunt puellis virginibus.

Euenus III. hoc nomine Rex Scotiæ, Et hinc tamen, qui regnavit tempore Iulii Cæsaris, paulo ante Christi Domini Nostri ortum, tres leges turpissimas & infames, inter alias, tulit: Vnam, ut omnes nobiles & Domini suorum villicorum, & clientum suorum filiabus ad libidinem suam explendam abuterentur, earumque pudicitiam, & virginitatis primitias prius delibarent ipsi, quam libero legitimi contrahendi matrimonii iure fruerentur. Alteram, ut proceres, nobilesque plebeiorem & infimorum hominum vxoribus pro arbitratu suo vterentur: Tertiam, quot quisque veller, aut suis facultatibus alere posset, vxores duceret: Fuit hic Rex flagitiosissimus, luxu, & auaritia inexplebili ardens, promiscuæ libidinis crimine obstrictus. Istius vesaniam libidinem sedare non poterunt, nedum extinguere centum nobilissimæ vir-

gines, nec totidem matronæ, à parentum & maritorum gremiis abstractæ. Quare vehementius permoti Proceres, cum id diutius ferre non possent, in eum coniurarunt, regnoque deiectum, in carcerem trudi iusserunt. Vbi tandem, ipis inficis, à iuvene quodam est interfectus. Hæc Ioannes Leslæus Scorus, Episcopus Rossensis, *lib. 2. de origine, & rebus gestis Scotorum*. Postea Molcolmus III. hoc nomine Rex Scotorum, Christianus, pius & religiosus, continentia, & castitatis cultor, leges illas spurcissimas, quas Euenus III. de virginibus, & vxoribus tulerat, penitus abrogauit Anno Domini 1066. *vt testatur idem Auctor Ioannes Leslæus libro 6.*

Witiza rex Gothorum in Hispania magno numero concubinas vxorum loco habuit, & legem tulit, vt id cunctis, & nobilibus & plebeiis faceretur, *vt scribit Rodricus lib. 3. de reb. Hispan. cap. 14. & 15.* fuit hic Rex impudissimus, & sceleratissimus.

Bolsinienfes in Hetruria seruilis pressi dominatu, filias ingenuas sponso iam destinatas alicui, seruis prius delibandas dare cogebantur: filias dominorum serui in matrimonium ducebant: legem condiderunt, vt supra sua in viduis pariter atque nuptis impunita essent, *Valerius Maximus, lib. 9. cap. 1.*

Adrimachidæ Libyes, virgines nupturas Reg. exhibere, & offerre iuebantur, & ille eam, qua sibi placeret, stuprabat. *Herodotus lib. 4.*

Dionysius Iunior Syracusanorum tyrannus, coniuges Principum ad stuprum rapi iubebat: virgines ante nuptias abducebat, stuprataque prociis reddebat. *Iustinus lib. 21.* Sed hi reges spurcissimi erant, & tyrannice dominabantur. Nec est quod vlli reges nobis obiciant plures concubinas Davidis, & Salomonis vxores, quasi reginas septingentas, & concubinas trecentas. Nam Hebræis Dei indulgentia licuit plures vxores habere: scriptura vxores legitimas quidem, sed minus principales, concubinas appellat. Nec Salomonis exemplum in hac parte omnino valet. Præterea non est, quod reges opponant Valentiniani senioris atque Imperatoris Catholici legem latam, vt cuique liceret duas simul vxores habere: *vt testantur Socrates in Historia Tripart. lib. 8. cap. 11. & Nicephorus lib. 11. cap. 32. Paulus Diaconus, Zonaras, & Cedrenus, & alii communiter.* Ipse namque contra legem diuinam, ac naturalem duas duxit, & lege perperam lata, hoc suæ libidini velum obtendit: Populosas fore tali lege Romani Imperii terras dixit, perinde ac Barbarorum regiones, apud quos polygamia in more erat. *Paulus Diaconus lib. 11.* Longe ante Valentinianum, & multo ante Suetonium, in *vita Iulii Cæsaris. c. 52.* scribunt: *Helium Cimna Tribunus plebis confessus est plerisque, habuisse se scriptam paratamque legem, quam Cæsar ferre iussisset, cum ipse abesset: vt vxores liberorum quærendorum causa, quas & quot ducere vellet, cuique liceret.* Sed hoc fecit Cæsar ob impudicitiam suam, & adulteriorum infamiam, omnium mulierum vir, & omnium virorum mulier, *vt ait ibidem Suetonius.* Cum item *1. Regum cap. 8.* de Regis iure dicitur: [Filiis vestras faciet sibi focarias] non significat concubinas, sed coquinæ curatrices, hoc est, foco addictas.

Quarto quaeritur, An ius habeant Reges scæminas vel inuitas, vel inuitis eorum parentibus, in matrimonium dare, quibus ipsi voluerint? Nonnulli è Regibus hoc sibi ius vsurparunt, sed immerito: Nam leges naturæ & Dei Ecclesiæ violant.

Præcepit enim Deus filiis, vti parentibus suis obediant, non igitur est, cur Rex filiam alienam in matrimonium collocaet inuitis parentibus. Diuina iura, & Humana constituunt, parentum esse, liberis condiciones matrimonii quaerere, filiabus quos voluerint, maritos dare. Volunt itidem diuina iura, & Canonica, vt matrimonia sint libera, non coacta: prohibent ea, ne vi metue contrahantur. Romani de matrimoniis leges condiderunt, tum ad propagandam rempublicam, tum ad familiarum dignitatem conferuandam. Vti rempublicam propagarent, ciues

immunitatibus inuicabant, & matrimonia contrahebant vacationem munerum dantes ei, cui tres essent filii, & libertatem, cui plures. *Gellius lib. 1. c. 6.* Camillus cum Censor esset, legem de maritandis ordinibus tulit, quæ pœnas constituit in eos, qui viduarum nuptias, quarum filii in bello ceciderant, deuitarent: eos vero, qui ad senectutem cœlibes peruenirent, æratios reddidit. *Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. Plutarchus in vita Camilli.* Fuertunt itidem leges, Iulia, & Pappia, quæ ex aliorum testamentis hæreditates cœlibes capere prohibebant. Verum hæc leges sublatae sunt, quatenus vetabant, & puniebant cœlibatum, & filiorum orbitatem *l. 1. & 2. C. de infirmis pœnis cœlibatus, & orbitatis.*

Quinto quaeritur, Vtrum Reges aliquid possint contra ius Gentium, siue Naturæ, Diuinum, vel Canonicum? Respondeo, generatim Reges etiam si Ethnici sint, nihil iubere posse, contra ius gentium, naturale, vel diuinum. Contra diuinum quidem, quia Deo obedire oportet magis quam hominibus. Contra ius vero naturale nequit Rex quippiam iubere, quia quod ius naturale præcipit, per se bonum est: quod autem prohibet, malum per se est: at Rex facere nequit, vt quod per se bonum est, sit malum: vel quod malum est sua natura, sit bonum. Fieri non potest à Rege, vt peritium, mendacium, homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium sint bona: nec item vt honorare parentes, colere Deum, reddere cuique quod suum est, depositumque restituere, sint res malæ. Contra ius Canonicum nequit etiam Rex Christianus: quicquam præcipere, vel prohibere: quia Rex Christianus est filius Ecclesiæ, & ideo ipsi tanquam matri obtemperare & parere debet, non repugnare.

Sexto quaeritur, An Rex legem gentium, siue naturalem restringere queat? Ratio dubitandi est, quia regis Imperii videmus leges præscriptionis constitui, quibus dominia rerum ex vno domino ad alium transferuntur: imo aliquando etiam Principum legibus domini suis seruis priuantur, filii legitima portio hæreditatis paternæ & alimenta denegantur. Respondeo, longe aliud esse, legem naturalem abrogare, mutare, vel contra eam quippiam iubere: aliud vero esse, legem naturalem declarare, interpretari, vel coarctare, ac restringere. Reges secundum possunt, non pro natura, arbitrioque suo, sed iustis in causis, primum non item. Vnde ob communem reipublicæ pacem, salutem, vel utilitatem, pœnam capitis in fontes constituunt, & in bello innocentes interimunt: ius concedunt, vt qui sunt à republica tanquam hostes publice proscripti, impune occidantur à quolibet, & vt quis etiam inuitus, suam domum vendat, videlicet vt via publica fiat, vel reficiatur, & amplior, ornatio, & commodior communi vsui reddatur: ac vt quis ob penuriam annonæ suum frumentum, vel vendat, vel mutuum det. Eadem ratione præscriptiones legis decernunt, vt rei dominium ex vno ad alium transferatur, ad lites, quæ terminari, & finiri minime solent, dirimendas. Item ob commune fidei, religionis, vel reipublicæ bonum, Dominos Regiæ aliquot Constitutiones suis seruis, seu mancipiis spoliant.

Septimo quaeritur, An Reges ius diuinum possint restringere in his, quæ ciuilia, non spiritalia sunt? Ratio dubitandi est, quia diuini iuris est, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, & tamen Principum legibus constitutum est, vt testamenta non valeant, nisi septem, vel octo testium numero comprobata: multæ itidem donationes sunt irritæ, quia absque inscriptione, vel iudicis decreto factæ: itidem multi contractus ipso iure non valent, quia sine his vel illis conditionibus, quas lex scripta deposcit, celebrantur. Respondeo, ea, quæ sunt diuini iuris in noua lege, Reges minime restringant, bene tamen ea, quæ diuini iuris sunt, ex veteri lege: quia in ea lege multa fuerunt data præcepta, quæ Theologi iudicialia appellant, eo quod ad bonam veteris populi administrationem pertinebant: & hæc præcepta dummodo moralia

alia non sint, quæ naturalis iuris esse dicuntur, morte Christi sublatæ sunt & extinctæ; & proinde nisi renouentur, ac reuiuifcant, vim habent nullam. Tale est præceptum veteris legis illud paulo ante allatum: *In ore duorum, vel trium testium, &c.*

Item quamuis morale præceptum esse dicamus, vt quisque liberam facultatem habeat donandi, testandi, alienandique res suas, & contractus inuendi, qui iure gentium sunt introducti, nihilominus, ad fraudes, & lites innumeras è medio tollendas, possunt Principes legibus multa decernere, quæ tamen diuinæ aut naturali legi contraria non sint, neque libertati Ecclesiasticæ aduersentur, vt puta ne testamenta, donationes, alienationes bonorum, & contractus consistant, nisi hoc, vel illo modo facti. Quamuis etiam æquitate, vel lege naturali legitimam portionem bonorum, & alimenta filiis debeant parentes: tamen possunt Reges, & Principes, iustas ob causas legitimam bonorum portionem minuere, & alimenta denegare, cum filii aliunde habeant, vnde commode sustententur.

Octauo quaeritur, Vtrum Regibus ius aliquod esse possit in Clericos, vel eorum bona? *De hac questione dictum est supra par. 1. Instit. Moral. lib. 5. cap. 12. quæst. 1. §. 2. & 3.*

Nono quaeritur, An Reges eo ipso, quod Reges sunt, fiat patroni omnium Ecclesiarum Cathedralium, quæ in ipsorum ditione, & Regno sunt: ita vt ius habeant nominandi, designandi, offerendi & præsentandi Clericos, qui ipsis Ecclesiis præficiantur? Hanc etiam questionem supra diluimus *par. 1. Instit. Moral. lib. 5. cap. 14. vlt. quæst. v. bi sententiam Archidiacon. Baldi, Dominici, Cardin. Alexandrini explicuimus, iuxta verum & germanum sensum.*

C A P. V.

Aliæ quedam quaestiones de Regibus diluuntur.

Primo quaeritur, Quot, & qui sint Reges Christianorum? Respondeo: In libello, qui inscribitur, Prouinciale omnium Ecclesiarum Cathedralium, ex Cancellaria Apostolica excerptum, numerati Reges Christianorum sequentes, hoc ordine.

Rex Francorum. Hic dicitur cognomento Christianissimus: qui nunc est Henricus quartus, Borbonius.

Rex Legionis, & Castellæ. Hic est cognomento Catholicus: qui nunc in vniuersa Hispania dominatur, videlicet Philippus III.

Rex Angliæ. Hic Romani Pontificis concessu & auctoritate est Hybernæ Dominus: nunc Angliæ Regnum tenet Elisabetha Regina, hæretica prauitate, infecta, & infamis ob hæresim & schisma.

Rex Scotiæ. Huic etiam parent insulæ Hebrides, siue Euboniæ, & Orcades. Nunc regnat Iacobus eo nomine 6.

Rex Siciliae. Nunc Sicilia, & regnum Neapolitanum, in vnius regis Hispaniæ potestate sunt, qui est Philippus III.

Rex Aragoniæ. Nunc Aragonia cum regno Legionis, & Castellæ coniuncta est, quibus dominatur Philippus III.

Rex Hungariæ. Nunc Hungaria pertinet ad Rodolphum Secundum Imperatorem Romanorum: At eam Turcæ magna ex parte occuparunt.

Rex Portugalliæ. Nunc Castellæ & Portugalliæ vnius Rex Hispaniæ præest, Philippus III.

Rex Nauarræ. Nunc ea Nauarra, quæ est prouincia Vasconum in Hispania, & continet Vascones, Cantabros, & quasdam Castellæ gentes: in vnius regis ditione & Imperio est, scilicet Philippi III.

Rex Maioricarum. Nomine Maioricarum intelliguntur insulæ, quæ olim Baleares dicebantur, videlicet Maiorica, Ophiusa, & aliæ. Porro reges Aragoniæ Baleares insulas suæ ditioni & potestati subiecerunt; eas Saraceni oc-

cupauerant. Iacobus rex Aragoniæ eo nomine primus illas deuictis & expulsi Saracenis recuperavit. Mortuus donauit eas ab Aragoniæ regno diuisis filio suo Iacobo, nomine, iure, ac titulo regio, quas tenuerunt, vt reges Maioricarum prædictus Iacobus, & filius, ac nepotes eius, postea vero illas cum regno Aragoniæ coniunxerunt Aragonum reges. Et ita illæ insulæ nunc sunt Hispaniæ regi subiectæ, nimirum Philippo III.

Rex Armeniæ. Nunc vtraque Armenia, maior, & minor, in Turcarum potestatem redacta est.

Rex Cypri. Regnum Cypri connubiali fœdere ad Venetos peruenit, vt dicam inferius libr. 12.

Rex Sardinia. Sardinia vna cum Aragonia, Balearibus insulis, & vtraque Sicilia, Romani Pontificis auctoritate coniuncta, vt dicam inferius libr. 12. & postea, cum regno Legionis & Castellæ connexa ad reges Catholicos Ferdinandum eo nomine Quintum, & Elisabetham deuenit: Et ita nunc vni Hispaniæ regi paret, Philippo III.

Rex Daniæ. Dania prouincia est septentrionalis, in finibus Germaniæ.

Rex Gothiæ. Nunc Gothia Ducatus est, sub rege Sueniæ.

Rex Noruegiæ. Nunc Noruegia in Ducatum transiit, & paret regi Suetiæ.

Rex Suetiæ. Suetia septentrionalis prouincia est, cuius regnum iure pertinet ad Sigismundum Catholicum regem, nunc in Polonia regnantem.

Rex Poloniæ. Hic nunc præest multis septentrionalibus prouinciis; Prussiæ, Russiæ, siue Rutheniæ, Lituaniæ, Mafouia, Samogithiæ, Liouoniæ, Podoliæ, Volymia, Podlasiæ, Pomeraniæ citeriori, & Ciuauiæ: & vtrique Poloniæ maiori & minori. Rex in Polonia nunc est Sigismundus, eo nomine 3.

Rex Bohemiæ. Nunc Bohemia Imperio adhæret, & ita paret Imperatori, Rodolpho II.

Secundo quaeritur, Quot, & qui Reges Christianorum sint feudatarii Ecclesiæ Romanæ? Respondeo, in eo, quem supra memoravi libro, Prouinciali, scilicet Ecclesiarum, recenseri quinque, qui sunt, Rex Siciliae, & Rex Sardinia, Rex Aragoniæ, Rex Hungariæ, & Rex Ierosolymæ.

Sub regno Siciliae comprehenditur regnum Neapolitanum, in quo continentur prouinciæ Apulia, & Calabria, & aliæ quinque.

Regnum Hierosolymitanum dicitur illud, quod est Christianorum bello recuperatum anno salutis 1099. expulsi Saracenis: quod deinde regnum Christiani amiserunt.

Constat ex historiis, multa Christianorum regna fuisse superioribus temporibus Ecclesiæ Romanæ vectigalia. Ioannes Angliæ Rex, Philippi regis Gallia vires & potentiam veritus, ad Innocentium III. Pontificis patrocinium confugit, Angliam & Hyberniam Romanæ Ecclesiæ feudatarias, hoc est, vectigales fecit: centum auri marchas quotannis pro vtraque prouincia se soluturum promisit: quod postea aliquamdiu seruatum est. *Blondus Decade 2. lib. 6. Platina in vita Innocentii III. Sabell. Eneade 9. libro 5. Aeneas Syluius in Epitome Blondi libro 6. acif. 2. Polydorus libro 15. de rebus Angli. ait se tantum, non item successores Ioannem illum Angliæ regem, ad hoc tributum soluendum obligasse.*

Inas rex occidentalium Saxonum in Anglia, bello, & pace clarissimus: studio & pietate in Romanam Ecclesiam memorabilis, totum suum regnum longe ante Ioannem eiusdem Angliæ regem, Romano Pontifici sponte sua vectigale fecerat, de singulis domibus singulos argenteos quotannis Romanæ Ecclesiæ solui constituit: qui denarii sancti Petri vulgo dicebantur, & soluti sunt per annos plusquam octingentos. *Polydorus libr. 4. Historia Anglica.*

Edelphus Angliæ rex Romam veniens sub Leone IV. Pontifice Inæ regis institutum secutus, eam Britannia

Insulæ